✠ 11

BAETICA

TERTII DE POENITENTIA

S. P. N. S. FRANCISCI

SACRI ORDINIS PROVINCIA,

S. MICHAELIS ARCHANGELI TITULO DECORATA,

IN SULAMITIDIS DOMUM,

EJUSDEM SCILICET INSTITUTI COENOBIUM HISPALENSE,

MARIAE VIRGINI BEATISSIMAE

SUB CONSOLATIONIS NOMINE CONSECRATUM,

VELUT ORDINATAE CASTRORUM ACIES, AUT CHORI,

PROVINCIALIA DE MORE COMITIA,

REVERENDISSIMO P. N.

Fr. ANTONIO JOSEPHO SALINAS,

HUJUS CISMONTANAE IPSIUS

S. P. N. S. FRANCISCI FAMILIAE

COMMISSARIO GENERALI DIGNISSIMO,

PRAESIDE,

DIE XX. MAIJ ANN. 1786. *CELEBRATURA*,

DEO CERTE DUCE, PROCEDET.

Hisp. ex officina Emman. Nic. Vazquez , & Francisci Hidalgo & Soc. Sup. & D. Cens. Reg. facult. & approb.

„ Revêrtere, revértere, Sulamîtis:
„ revértere, revértere, ut intueamur te. Quid videbis in Sulamîte, nisi choros Castrorum?

(Cant. c. 6. ℣. 12. & c. 7. ℣. 1.)

ANTECEDENTIUM SCRIPTURAE VERBORUM Accommodatio.

NE TE, LECTOR, DIUTIUS TENEAMUS, & si res est in medio posita, perpendas tamen, deprehendasque velimus, aptiorem ad Comitia illîusmodi habenda locum déligi alium minimè potuisse, quàm is sit, quem paulò antè indicavimus, *Domum* videlicet *Sulamîtidis*, seu *Pacificae*: quo sanè nomine singularis Virgo illa, simul ac *pacis Principis*, (a) *Deique solatii*, (b) genitrix merito, & jure dignatur, quam ibídem sub praeclaro, atque amabilissimo *Consolationis* titulo reveremur. *Solatium* námque omnium maximum *pax*. Huc ergo, in Domum nempe istam *Consolationis*, & *Pacis*, pius ille caetus, familias ambiens Baeticae totîus Provinciae Tertii Franciscani Ordinis Religiosas, *egressus inde*, è suo quique Coenobio, *in pace*, (c) *sollicitus servare unitatem spiritûs in vinculo pacis*, (d) *viam pacis* arripiens, *& in pace deductus*, (e) convenire festínat, *pacis initurus consilia*, (f) *judiciumque pacis judicaturus*: (g) quam eorum singulí, utpote *viri pacis ejus*, (h) à sua ipsorum expectant Consolationis, ac Pacis Imperatrice, per electionem Provincialis Ministri, vel Praepositi consultissimam. Hinc etenim *pax*, eaque *Dei*, *quae exuperat omnem sensum*: (i) hinc praecipua, solidaque *Consolatio*, *gaudium* scilicet in *Spiritu Sancto*. (k) Itinere autem hocce confecto, quid in Sulamîtidis Domo recensíta illa

(a) Isai. c. 9. ℣. 6. (b) Rom. c. 15. ℣. 5. (c) Jerem. c. 43. ℣. 12.
(d) Eph. c. 4. ℣. 3. (e) Isai. c. 55. ℣. 12. (f) Prov. c. 12. ℣. 20.
(g) Zach. c. 8. ℣. 16. (h) Abdiae c. unic. ℣. 7. (i) Philipp. c. 4. ℣. 7.
(k) Rom. c. 14. ℣. 17.

illa videatur, diligenter advertito: *Castrorum* nimirum *chori* solummodo, viríve Religiosissimi, sapientiâ, virtuteque consonantes; atque adversus errorem, & impietatem *militiae suae arma*, (l) Michäele Archángelo invisibili duce, *à dextris, & à sinistris*, (m) assiduè, ac fortiter exerentes. Qui profectò, ut conspicuum, seu visibilem, sub quo militent, principem nanciscantur, numeris prorsus omnibus absolutum; ad *Consolātionis* totîus Matrem súpplices, ut aliàs saepè jacuêre, iterum nunc, ac saepiùs jaceant, hisce illam clamoribus compellantes. *Revértere, revértere Sulamítis: revértere, revértere, ut intueamur te.* Ac si dicant: quae nos olim toties aspexisti, rursus nos aspicias, tuamque ostendas faciem, quaesumus: ut *in illuminatione vultûs tui* (n) *lumen videre* (o) possîmus; eúmque ipsum, *quem tu à te electum ostenderis eligamus*: (p) quo certè *diem Consolationis te* nobis adduxisse, (q) *ab übere Consolationis tuae* (r) delapsam, tum nos, tum cunctus etiam terrarum orbis agnoscat.

(l) 2. Cor. c. 10. ℣. 4. (m) 2. Cor. c. 6. ℣. 7. (n) Ps. 89. ℣. 8. (o) Ps. 35. ℣. 10. (p) Actor. c. 1. ℣. 24. (q) Tren. c. 1. ℣. 21. (r) Isai. c. 66. ℣. 11.

SOLEMNITATUM DISTRIBUTIO.

AD PATRES SUFFRAGIA LATUROS, UT rectam Praesulum peragant electionem obsecrandi opportune instituet orationem

P. Fr. CHRISTOFORUS DE LA MATA, Praedicator Generalis, & Conventus Caesariensis Civitatis Minister.

Die XX. Maij.

ELECTIONIBUS DEDITA, POST SOLEMNEM de Spiritu Sancto Missae celebrationem, Ministri Provincialis, Custodis, & Diffinitorum erit Canonica designatio.

Sequenti die, manè.

DEO GRATES PRO COLLATIS BENEFICIJS referrentur, & S. P. N. S. Francisci virtutes, & laudes solido, & facundo extollet Panegîrico

R. P. Fr. SEBASTIANUS SANCHEZ VALERO, Lect. Jub. & Provintiae actualis Custos.

Eodem die, ad Vesperam.

THEOLOGICAS PROPUGNABIT THESES
P. Fr. Joannes Lozano, in Coenobio Astensi liberalium
Artium Lect. cujus tutamen assumet

R. P. Fr. BARTHOLOMEUS DE SORIA,
Lector Jubilatus, Provintiae ex Diffinitor,
& Hispalensis antedicti Conventus meritissimum Caput.

Die postrema, quae erit XXII Maij.

SOLEMNES ILLUSTRIUM PATRONORUM
Provintiae exequias, funebri Oratione
claudet

PATER FRATER FRANCISCUS GOMEZ,
Predicator Generalis, & in Cordubensi Domo
benemeritus Praesul.

RE-

REVERENDISSIMO P. N.

Fr. ANTONIO JOSEPHO SALINAS,

LECTORI JUBILATO,

ORDINIS GENERALI EX-DIFFINITORI,

IN REGALI CONGRESSU PRO IMMACULATA VIRG.

CONCEPTIONE THEOLOGO,

ATQUE CISMONTANAE FAMILIAE

S. P. N. S. FRANCISCI

COMMISSARIO GENERALI

PRAECLARISSIMO.

VIRO NEMPE, NON MINUS GENERIS NOBIlitate, Majorùmque Stemmatibus conspicuô, quàm singulari scientiâ praestanti, omniùmque virtutum laude commendabili;

Cujus propterea *semitae omnes pacificae*, (s) Cujus *manus* sic *Pacifica* nostra illa *docet ad praelium*, *digitosque ad bellum*, ut actus ipsîus universi *Castrorum chori* sint, (u) *tela ignea nequissimi* mirabiliter *extinguentes*: (x)

Tanto igitur Praesidi, Nostri omnium deliciis, ac solatio, Baetica Tertii Ordinis Provincia sua, multis illi beneficiis in se liberalissimè collatis, obstricta, subsequens encomiasticum modulatur accentum.

Cul-

(s) Prov. c. 3. ℣. 17. (t) Ps. 143. ℣. 1. (u) Cant. c. 7. ℣. 1.
(x) Eph. c. 6. ℣. 16.

Culmen honorificum Patrum Pater accipe vota,
quae tibi sincero pectore fudit amor.
Te doctrina *probum*, prudentia summa *modestum*
fecit, & eloquio vincere mella tuo,
Majestas humeros, placidam *clementia* frontem,
pura verecundus pectora *candor* habet.
Baetigenae laudant, foelicia vota secundant,
ut maneas Pastor, ne lacerentur Oves.

Queis sub auspicijs, umbraque frondosissimà, quam diù desideraverat, ardentèrque concupierat, ut sibi met blandiretur, cum gratulabunda, tum loetabunda, & laudans jucundissimè residebit. Hujusmodi autèm in consessu, dulciores gutturi delibando beneficentiae fructus, per ejusdem munus, & manus offeret holocaustum, ut pînguius, ut gratius, & acceptius fiat apùd

N. S. PATRIARCHAM D. FRANCISCUM,

IN CUNCTIS VITAE GRADIBUS PRAE NIMIA humilitate Altissimi Carofacti praestantissimũ Æmulum.

Huic igitur praeexcelso Protoparenti Nostro diem faestum agemus, rependentes grates per vivax exemplar, & Speculum, in quo velùt in aenigmate, & benemerito jure successionis reviviscit imago bonitatis illius. Diem quidem istam solemnem usque ad Cornu Altaris, in condensis gaudiorum, & exultationis signaculis, in gratiarum actionibus peragendis, in extollendis laudibus proctèr novum Sponsum procedentem, ob renascentem Phoebum, sua benefica parallaxi virorem calami, & junci reflorescentem uberrimè, constituemus alacriter; eoquè Cordicitus meritò, & justitia

CONSECRAMUS.

EGRE-

EGREGIO HEROI,

CORDUBENSIS CIVITATIS DECORI, ORNAMENTOQUE singulari: quem tum generis nobilitas, tum morum integritas, tum res, domi, ac militiae praeclarè gestae, reddunt post hominum memoriam praestantissimum: per insigni videlicet

D.D.EMMANUELI DE SAAVEDRA,

ET NARVAEZ, GOMEZ DE CARDENAS, Guzman, & Angulo, Paez de Castillejo, & Valenzuela, Fernandez de Cordoba, Tello de Portugal, & Medina, Roxas, Fernandez de Argote, Muñiz de Godoy, Carrillo, Venegas, Manuel, Laso de la Vega; Comiti de la Jarosa, Arcis Eporensis Praefecto, Domino Jurisdictionum Civilium, Criminaliúmque Altae, & inferioris meri-mixti imperii, Oppidorum de Maestre Escuela, Superioris, inferiorisque Villa-Viejo Arenillas, la Vega, Matachel, agrique de la Vanda (cum jure Vassalorum, poenarum de Camara, & Sanguinis, legalium & arbitrariarum, juribus insuper de Monstrencos, Martiniega, caeterarumque) Regalis Insignis Hispani Ordinis Caroli Tertii cum jure pensionis Cruce decorato Equiti; Provinciae Sancti Michaelis Archangeli Tertii Ordinis de Poenitentia Regularis Observantiae S. P. N. S. Francisci Baeticae, Regnique Granatensis perpetuo

PATRONO:

Viro

Viro denique, nostrae *Sulamitidis* observantissimo, *pacis* amantissimo, bonis omnibus *jucundissimo*, qui suis virtutibus, velut *castrornm* ordinibus stipatus, *saecularia abnegans desideria*, (y) contra *carnis*, *oculorúmque concupiscentias*, ac *vitae superbiam* (z) dimicans, *sobriè*, *justè*, *pie vivere in hoc saeculo* (a) nititur:

Eadem Baetica Tertii Ordinis Provincia, in aeternum grati erga suum liberalissimum Protectorem animi monumentum,

. . . . Aere perennius,
Regalique situ Pyramidum altius,
Quod non imber edax, non Aquilo impotens
Possit diruere, aut innumerabilis
Annorum series, & fuga temporum, (b)

(y) Tit. c. 2. ℣. 12. (z) 1. Joan. c. 2. ℣. 16. (a) Tit. c. 2. ℣. 12.
(b) Horat. Carmin. lib. 3. Od. 30.

HAS THEOLOGICAS THESES DICAT, OFFERT, volens, lubénsque sacrat.

SACRORUM MINISTRORUM ELECTIO JURE Divino, ad populum non pertinet. Ex Septem Diaconorum Electione non evincitur Jure Divino Christianam plebem in sacris Electionibus suffragari debere. Primi septem Diaconi (Act. Apost. Cap. 6.) primariò constituti sunt ad Ministerium Sacrum. Promoti ad sacros ordines tenentur ad Coelibatum. Lex Coelibatus pro Clericis est dumtaxat Juris Ecclesiastici. Ex Canone 3. Concilii Nicaeni colligitur PP. praecepisse continentiam ab uxoribus ante ordinationem ductis majoribus Clericis. Sublestae fidei videtur esse historia Paphnutij narrata à Socrate, & Sozomeno, circa legem, quam (ut ipsi ajunt) Nicaena Synodus voluit imponere majoribus Clericis conjugatis. Episcopi sunt Jure Divino Presbiteris superiores: hujusmodi sentenciae fuisse D. Hieronymum, ejus scripta probant; ideoque ineptè nobis objicit S. Doctorem, Joannes Wiclefus. Presbyteros absque nova consecratione Episcopos constitutos, non probant historiae Catonis Presbyteri, S. Britii, aliaque ex historiae Scoticae, & Britannicae monumentis, ex Liberato, & Eutychio Alexándrino à Blondello petita argumenta. Tres Episcopi non requiruntur ad consecrationis Episcopalis substantiam.